





24  
1751  
16  
MEDITATIONES

DE QUIBUSDAM

P. 414  
CVLTVM DEI  
EXTERNVM CON-  
NENTIBVS 11

QVAS

PRAESIDE

VIRO PRAECELLENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

M. GOTTLOB. SAMVELE NICOLAI

AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE ADIVNCTO

FAVTORE ET PRAECEPTORE PIE COLENDO

AD DIEM NOVEMBRIS A. R. S. MDCCLI.

H. L. Q. C.

EXAMINI ERVDITORVM PVBLICO SVBMITTIT


DANIEL FRIDERICVS SAVER

GRANSEEA - MESO MARCHICVS.



HALAE MAGDEBVRG.

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.



MEDITATIONES

DE QUINQUE

CULTVM DEI  
EXTERNVM CONCERNENTIBVS

1711

PRÆFATIO

TIPO REACTILLIANTISSIMO STRPE DOCTISSIMO

M. GOTTLIB. SAMV. NICOLAI

AMBLESIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE ADIUNCTO

AVTORE ET REACTIBTORE PIE COLENDO


AD DIEM . NOVEMBERIS . A. R. S. MDCCCL.

M. P. G.

EX AMINI REACTIBTORE PVBLICO SVBMITTIT


DANIEL FRIDERICVS SAVER

OPUSCULUM QUINQUE



IN A. M. P. G.

TIPO JOHANNIS CHRISTIANI HILSCHEI, ACAD. TYPOG.





MEDITATIONES PHILOSOPHICAE  
DE  
QVIBVSDAM CVLTVM DEI  
EXTERNVM CONCERNENTIBVS.



§. I.  
E a omnium, quae diversis obviae sunt rationi-  
bus rerum, conditio est; ut in discrepan- *Instituti ra-*  
tes animus hominum trahatur sententias. *tio.*  
Modo enim illi qui multitudinis levitate de-  
lectantur, ad quaevis adspirant, dum aliqua-  
lis tantum oblectamenti aut utilitatis tenen-  
tur praefugio. Modo effraenata eorum carerva, qui supercilia  
tollunt, omnia ea aspernantur quae genio ipsorum quodammo-  
do contraria apparent. Adhibendum esse modum, atque ambo-  
rum opiniones ad mediocritatem revocandas esse quilibet vi-  
det. Haec tunc potissimum apprime dicta esse arbitror, si de cultu  
Dei externo, nostris potissimum temporibus disceptatio oritur.  
Alii enim in aere sibi volitare videntur, supra omnem fere  
humanam imbecillitatem elati; alii humi serpunt, ne de  
electio-

electione quidem instituenda solliciti. Quo fit, ut partim cultum Dei flocci habeant, partim ne quidem ad omnia illa fatiis attenti sint quae cultui Dei inserviunt. Duplex itaque potissimum disputationis nostrae, brevibus in praesenti efficiendae caput erit. Primum, quaedam de iis differemus, qui ipsi Deum colunt: Deinde autem etiam de illis qui semet ipsos iudices eorum volunt, qui nobis occasionem ad colendum Deum subministrant. Faxit Trinunus feliciter.

Neuquam nuda eorum repetitione quae dudum doctorum acroateria personarum defatigabimus lectores. Sed quum circa praestantissimas actionum externarum species meditatio versatur; periculum faciemus utrum aliquid incitamenti ad augendam cognitionem dignitatis, necessitatis, & usus, addere nobis concessum sit, dum fundamentis ab aliis iam positus quaedam superstruimus. Quum in diiudicatione eorum qui sacris faciundis praesunt multi mira procedant audacia; videbimus quam facultate iudices instructi esse debeant, nisi forum rationis eludere gestiunt atque solivaga capiuntur cognitione. Eo lubentius veritatum natura duce nobis detectarum lumen sequimur; quo magis illi qui adversas propugnant partes easdem praecipuas esse iudicant.

## §. II.

*Religionem  
evertere cupientes sibi  
mit ipsis in-  
fensi sunt.*

Qui maleficiis & scelere pascuntur, non adeo omnem semper eiurarunt virtutis sensum; ut nec interdum eorum cognoscant beneficia, quorum ope & vita & pace & conservatione bonorum fruuntur. Lubrico autem tantum atque vacillante gauderent fortunae statu, nisi aliis hominibus certi aliquid inesset; quod securitati ipsorum fidem faceret. Omnis vero rerum huius mundi facies, fluxa atque caduca est. Pone itaque aliquem ad officia societatis explenda, tantum mundanis quibusdam sollicitari rationibus. Tunc quidem

dem per varia temporum intervalla, & amicitiae & civitatis iura sollerter ræbitur. Ast quum rationum istarum non semper eadem sit forma; quid impedit quo minus etiam variatio & hinc imminutio, imo etiam defectus conservationis bonorum & amoris inde consequatur? Collabefactis enim iis quae expletionis, horum officiorum fundamenta erant, & confectaria ipsa corruent necessario. Multo aliter res se habebit, si varietatem mundanam longo intervallo post se derelinquentes rationes, ad observationem officiorum iusti ac aequi nos alliciunt. Licet enim tunc observantia recti erga alios vicissitudinum non expers sit, quam humanae naturae propriam esse cognoscimus; at tamen neutiquam tanta facilitate aliquis ea quae alias bona iudicavit omittit, quum ratio officii obiectiva semper maneat immutata. Paret itaque quod sibi met ipsis infensi sint, qui religionem in aliis impedire fatagunt; quum tamen, quam plurima ab ipsis expectant, officiorum genera. Si enim tantum prima illa officia perpendimus quae in conservatione eorum absolvuntur, quae ad nos pertinent, & haec eo tutius atque constantius ab aliis praestantur, dum religione permoti, ad ea expedienda se accingunt.

Tantum a negatione utilitatis bonorum quae a mundanis rationibus expectari possunt absumus, ut eam potius omni modo stabilitum eamus. Ast si de comparativa perfectione edicendum est; rationes e religione ad praestanda officia profluentes, semper maioris aestimandas esse arbitramur. Si itaque nec naturam actuum religionis in censum venire praverimus, qua ob singularem praestantiam, cunctorum merentur venerationem, tantum ad effectus attendendos esse videmus, ut dignitas earundem elucescat. Ex his enim cognoscimus, religioni deditum, officia quae nobis debet magis constanter, atque fervide explere, quam illum qui ab eadem

abhorret. Quare nec utilitatibus suis optime consulunt, qui aliorum auxiliis, magis commodam sibi exoptant vitam, & tamen infensissima mente religionem perunt, & hinc omnia ea evertere annitentur quae scopo ipsorum quam maxime proficua forent.

## §. III.

*Continuo religionem colentes, & Deum externe colunt.*

Ea cogitationum saepius legitime repetitarum est indoles, ut successu saltim temporis in actiones externas influant atque magnam earum partem determinent. Quod si itaque religionis studiosus insigni delectatione in cogitatione Dei, atque operum divinorum, versatus fuerit, fieri nequit, quin aliqua inde resultare debeant actionum suarum principia. Animus enim pestilenti malevolentia liber, perfectionum divinarum, atque inde elucens benignitatis dulcedine capitur, quum omnia Dei facta, nec varia aut diversa voce, sed uno omnium ore benivolentiam divinam loquantur. Talem benignitatis experientiam, necessario amore, honore atque reverentia erga horum meritum auctorem concomitari, in confesso est. Numne mortua in animo delitescere arbitramur haecce de summo numine iudicia? Persuadeat sibi quisquis naturae humanae ignarus, affectuum impetus, spiritui tantum proprios esse, nec unquam in actionibus externis perspicui posse autumat. Quae enim studio, intra pectus gelantur amoris, honoris & reverentiae commotiones; indubitate in publicum prodeunt, nisi sollicita obscuratio prohibentur. Habebimus hoc modo cultum Dei externum, quem adesse doctores adfirmant, si actiones externae ex motivis gloriae divinae determinantur.

Licet itaque adsint religionis admiratores, qui tamen cultum Dei, externum negligunt; attamen de veritate huius admiranda



mirationis adhuc dubii haerebimus, nisi accedant effectus, quibus pondus sola simplici admiratione maius adiudicari potest. Si enim tantum analogo modo de amore atque reverentia qua homines prosequimur, ad amorem atque reverentiam Deo praestitam concludimus, explicita erunt omnia. Quoties enim multis iisque gravibus ex rationibus aliquem veneramus, toties etiam ad mentem nostram publice nisi impediti fuerimus declarandam adspiramus. Honor enim eo maiora capit incrementa; si benefactoris beneficia in dies augentur. Lubentes autem concedimus minorem religionis internae gradum quidem in aliquo adesse posse, licet cultus Dei externus non adsit, at tamen de maiori gradu illud vehementer negamus. Quo difficilius enim maior caloris celatur gradus, eo difficilius etiam animus Deum flagranti cupidine amans supprimeretur. Haece de amore e. c. cogitatione neutiquam religionis cultum, sensitivarum cupiditatum circulis intercludimus. Honor enim ille quem Deo debemus, aut ex sensitivis repraesentationibus aut ex distinctis ortum trahit. Sit itaque quod plurimi hominum distinctarum cupiditatum non apprime capaces sint; quilibet tamen qui modulum ingenii sui sequitur, omnesque quibus pollet vires intendit, ad praestantissimas actiones aptus, officio suo nunquam deerit.

§. III.

Suavissimo itaque religionis meditationes & cultus eandem externus iunguntur vinculo. Nec sine ingenti periculo alterius iacturam faciet, verae felicitatis cupidus. Modo enim cultus externus sine legitima meditationum constitutione hypocrisin sapiet; Modo meditationis augmentum sine signorum existentia, nunquam locum habebit. §. III. Sed quanta hominum diversitas! Si itaque arbitramur ad cultum Dei externum aliquem unica via pervenire posse, fallimur. Unicum quidem eiusdem firmissimum fundamentum habemus, gloriam Dei puta; at diversissima erunt aedificia

*Ast non eadem cultus externi forma.*

ficia eidem superstructa, quae pro diversitate reliquarum cognitionis generum, vitae conditionis, occasionum itaque atque impedimentorum discrepantes induere formas, experientia restatur. Utinam plures ad eandem animum adverterent, nec sub iniusto separationis salvificae titulo, eos reicerent, qui mentem bene animaram praese ferunt, actiones legi naturae conformant, nec ab eadem nisi humana decepti inbecillitate recedunt. Sarius esse ducerem ea suavi consuetudine emendare, quae adhuc desiderant, quam superbiente solitudine, ea etiam bona destruere, quae in aliorum religiofa Dei veneratione externa,prehenduntur.

Simillimam segetem agris inferes & pro varia coeli temperie, ac pro diversitate virium agri, & pro diversitate culturae atque diligentiae adhibitae, non eandem fructuum metes copiam, ita ut bonitate etiam differant. Eandem naturam esse cultus externi, facile perspicitur. Bonitatem segetis seu meditationum, fructuum seu cultus externi, principia esse nemo unquam negabit. Hinc de praestantia feminis quam primum solliciti erimus. Nihilominus licet de similitudine bonorum fructuum controversia moveri nequeat, tamen forma, copia, bonitate differant. Loquimur de cultu Dei, quem natura duce instituumus; concedimus tamen diversitatem in actibus religiosi etiam illis in quibus supernaturali auxilio fruuntur christiani. Nostrum non est ut de principiis loquamur ex quibus hoc paulo pressus deducere possemus. Sufficit quod Deus etiam obiectorum rationem habeat, de quorum varia constitutione nunquam facile lis movebitur, licet unicum fundamentum fidem in Jesum Christum esse concedamus.

§. V.

Diversitas  
 ista nun-

Ex hacce de diversitatibus doctrina, fortean quispiam effraenatae licentiae patrociniū effinget, qua cuiuslibet arbitrio

bitrio relictum esse putabit, quomodo cultum externum insti-  
tuere voluerit. Ast principiis quae possimus assumtis nunquam  
hac ratione peccabit ille, quem ista ut vera sequi placuerit. *quam licen-  
tiam admit-  
tit. Cui*  
Quum enim religionem externam tantum effectum esse debere reli-  
gionis internae statuamus, §. III. IIII. pater, omnem illum qui  
cultum externum sine legitima principiorum constitutione  
celebrat, messem exspectare licet segetis tempore otio aut  
negligentiae indulserit. Religione interna vero supposita  
nunquam quispiam ea ratione Deum externe colet, ut aliquo  
modo vitii cuiusdam licentiae reus agi queat. Omnis itaque va-  
riatio nec similitudinem nec consensum in cultu Dei externo  
excludit, nec ullo modo licentiam introducit.

Misere sibi et ipsis cultum Dei externum efformant, qui  
loco religiosarum cogitationum, affectibus aut obscura quam  
plurimum finium meditatione sollicitantur. Hisce enim ani-  
mus in diversas trahitur partes, gratamque illam conspiratio-  
nem quam alias in actibus religionem concernentibus depre-  
hendimus, negligit. Inde fit quod pro varia finium natura  
modo hanc, modo illam actionem religioni consentaneam esse  
velint; prout illam sibi ad tempus saltem egregie utilem esse  
ducunt. Multo aliter res se habet cum religione. Et si enim  
omne de mediis illam declarandi studium, apprime necessa-  
rium esse videamus; facilius tamen omne procedet negotium,  
si de scopi ratione iam iam certi sumus & hinc tantum de re-  
latione mediolorum ad illum diiudicatio instituenda est.

## §. VI.

Ut eo aptius indicemus quemnam cultum Dei exter-  
num optimum esse arbitramur; eo modo ut & variationi ne-  
cessariae satisfiat, & licentia nunquam satis detestanda com-  
pesci queat, characteres, ad tria potissimum capita revocanda  
esse videmus. Primum locum certitudini adiudicamus; *Quem cul-  
tum opti-  
mum iudica-  
mus. Chara-  
cter I.*

B

tus

tus ergo externus eo modo insituatur, ut nobismet ipsis atque aliis constet, eum esse medium manifestandae gloriae divinae. Quum certitudo in conscientia veritatis absolvarur, eligenda erunt media, quae conscientiam in nobis & in aliis promovent, cultum istum, revera cultum internum significare. Hinc potissimum cultum externum publicum derivamus, ut & segregationem separatarum horarum, qualibet die cultui externo dicandarum. Ea enim omnium rerum quae adamamus solet esse conditio, ut peculiare tempus iisdem consecremus. Mentiri itaque amorem erga Deum videntur, qui eum non tanti iudicant, ut qualibet die statutum aliquod tempus ipsi sacrum faciant; aut sollemnibus illis concionibus interesse velint, quibus reverentiam erga Deum testamur; cultusque interni fidentiam merito comprobatae damus.

Sic quod de amico aut de horro experientiam desumere volueris, qua ducti affirmare audemus eum qui amore cuiusdam rei capitur singulari, separatas eidem adiudicare horas; nobis unum idemque erit. Fac enim aliquem amico aut horro delectari, fac omnia ea quae suavitatem istam promovere possunt, neutiquam minui; indes potius augeri. Numne eundem vere amicum esse, aut vere horri amoenitatibus capi putabimus, nisi staturis quibusdam temporibus, & amico amicitiam coram declaraverit, & suavitatem quam ex horri delictis desumit, publica vultus saltem, atque quarundam actionum auctoritate testatam reddiderit. Quanto magis de vera religione cuiusdam dubium movebimus nisi publica atque privata cultus externi celebratione, aliquam saltem religionis internae veritatem ostendere voluerit; quum aliae res mutationibus obnoxiae sint, in objecto vero religionis nulla quae sensum perfectionis imminuere queat adsit mutatio. Insimul vero patet nos non statim a praesentia quorundam actuum quae ad cultum externum referuntur, ad veritatem cultus interni concludere. Neutiquam enim ex uno caractere separatum

ratum sumto compraesentiam reliquorum iudicamus. Ast multo aliter res fit; si ex absentia unius notae characteristicae fere totali, ad absentiam eorum quae per eandem probari debent concludimus. Si itaque quispiam cultum publicum neglexerit, non statim arbitramur illum Deo omnique sancto infensum esse, sed imminuitur tantum certitudo de veritate cultus interni maioris, quam alias, fervore ductus, etiam actibus externis ostenderet §. III.

§. VII.

Quae in praecedentibus allegavimus certitudinis promovendae media, partim aliis usibus inserviunt, partim aliis quoque mediis augeri queunt. 1) Ad usus publica atque privata Dei veneratione, statutis temporibus declarata, obtinendos referimus; quod fiducia aliorum erga nosmet ipsos incrementa capiat; quum nos officia illa quae aliis praestanda sunt eo facilius expleturos esse confidunt, quo magis in observandis iis quae Deum spectant solliciti sumus. Prudentiorum enim ea solet esse lex, ut ab ordine in una eaque insigni officiorum specie observato, ad reliquorum curam expletionem concludant. Hinc fit quod sollers officiorum Deo praestandorum cura, eximiam spem sapientioribus iniiciat, fore ut nos in aliis eandem curam adhibeamus. Aptiores itaque nos iudicant ad res maioris ponderis agendas, & hinc fit quod alii in officiis nobis explendis, magis adsint alacres. 2) Media quae ad augendam certitudinem cultus externi seu ad indicandam veritatem cultus interni specialius faciunt, partim consuetudinis morumque iussu determinantur; partim multitudine & magnitudine cogitationum religiosarum hoc modo patefactarum. Quae insequenti §. aliquantulum uberiori dilucidatione illustrabuntur.

Publica cultus externi celebratione, & statutis ad privata religionis exercitia temporibus, etiam omnis religio facilius

in habitum abit, praesertim, si in initio statim finem ob quem actiones tales suscipiuntur, nobis repraesentare voluerimus. Alias enim & religionis internae meditationes facilius oblivioni traduntur, aut reliquis quam pluribus cogitationibus obscurantur, nisi & ipsius temporis subsidio, repraesentationes ad peculiarem istum scopum dirigimus. Omnis vero, actus quem habitu comite exercemus & pauciores vires requirit, nec unquam taediis, in initio praesentibus difficilius redditur. Apparet itaque, quanto usui separata temporum ad cultum externum destinatio imo religioni internae esse queat. Ne dicam de exemplo, quod aliis praecimus egregio: Hinc etiam philanthropiae specialis elucet effectus, si quisquam reliquis non posthabitis rationibus, etiam eam ob causam publicis concionibus interest, ut aliorum utilitati inservire queat. Hoc enim modo non solum impedimus, quominus alii homines pravam consuetudinem nostro exemplo confirmare queant, sed etiam si quid auctoritatis habemus, eosdem allicimus, ut ea quibus nos insistimus premant vestigia.

## §. VIII.

*Novum morivum ad certitudinem promovendum.*

Alium videmus usum ex iteratione cultus divini externi desumendum. Psychologicis ducti rationibus cognoscimus omnem actionem vel praevia meditatione distinctaque rerum repraesentatione oriri; vel nos sensitivis potissimum dirigi cupiditatibus. Si singulas actiones comparare et calculum subducere voluerimus, inveniemus, maxima ex parte sensitivas cupiditates, insignem vim in nosmet ipsos exercere. Prout itaque istarum cupiditarum conditio magis emendata fuerit; ita etiam magis salutis nostrae conducent. Praecipua tantum eo dirigenda est cura, ut eo tempore in quo attentioni maiori, imo distinctioni repraesentationum, nullus relinquatur locus, magna sensitivarum repraesentationum, earumque bonarum instructi esse queamus copia. Si  
 illas

illas confusas atque obscuras s. sensitivas repraesentationes quae a libertate nostra dependent emendare voluerimus, eo respiciendum est, ut quam plures distinctae & clare repraesentationes animum nostrum ingrediantur bonae. Licet enim illae temporis successu magis obscurae fiant, tamen insigni nobis erunt utilitati. In iis enim momentis in quibus omnis evanescit meditatio, potissimum confusis atque obscuris repraesentationibus dirigimur, quae hinc appetitiones nostras determinant. Fac itaque, aliquem multis iisque bonis licet obscuris & confusis instructum esse repraesentationibus; fac appetitiones ipsius determinari debere, eo tempore, quo omnis fere intensive clara exulat attentio. Numne praepostere appetet? Neutiquam putaverim; si tantum multitudo repraesentationum confusarum atque obscurarum distinctionem compensare potuerit; etenim tunc etiam appetitiones legitimo modo determinabuntur. Omnia itaque illa, quae bonitati sensitivarum repraesentationum proficua esse queunt, sedulo disquirenda atque arripienda esse censemus. Quidni igitur cultum Dei externum quatenus plurimas cogitationes comites habet, omni modo omnique occasione celebrandum esse iudicabimus; quum legitima sensitivarum repraesentationum & hinc cupiditatum constitutio inde augmenta capiat.

Si omne illud discrimen perpendimus quod inter appetitiones eorum qui eruditionis praestantia conspicui sunt, atque illorum intercedit qui intellectus culturam, neglexerunt; inveniemus neutiquam illud in fortitudine repraesentationum appetitionumque deprehendi. Experientia enim teste confirmatur, inferioris etiam subsellii homines, adeo vehementi desiderio ea saepius quae sibi propofuerunt appetere, ut homines sagaci intellectu excellentes post se relinquant. For-

tudo itaque appetitionum non ex distincta solum; verum etiam ex confusa atque obscura repraesentationum serie, originem trahit. In genere enim certum est, repraesentationes appetitiones nostras determinare. Eo igitur tantum dispiciendum erit, ne repraesentationum confusarum atque obscurarum campus, in emendatione negligentius colatur, quam repraesentationum distinctarum. Quibus vero auxiliis illud aptius efficiemus, quam si deum publice atque separatim colimus? Hac enim via omnes corporis mutationes, & status, ut subsidia mnemonica, repraesentationes quas significamus, eo aptius conservabunt. Ne dicam, quod novae repraesentationum accessiones etiam necessario oriuntur; videlicet lectione atque auditione eorum, quae ab aliis dicuntur. Quae enim in initio distinctius aut clarius cognita fuerunt, tempore magis obscurantur. Dum itaque ad confusarum atque obscurarum repraesentationum campum referuntur, sensitivas cupiditates determinant; quae eo meliores erunt, quo plures repraesentationes bonae eas effecerunt.

## §. IX.

*De usu orationum sacrarum levioris momenti.*

Quum de praestantia orationum sacrarum, quae simul publicum cultum constituunt; differitur aut materiale aut formale earundem spectamus. Quae de materiali harum orationum disputari possunt, obiectum religionis internae constituunt, de quo in praesenti nihil determinandum esse, videmus. Accedamus itaque ad formales orationis perfectiones, quae veritate, claritate, persuasione, & vita seu motivis ad agendum absolvuntur. Sentimus cum illis quorum iudicio stabilitur orationem praestantiorum esse in qua materialibus & formalibus perfectionibus simul observatis animus hominum eo magis afficitur. Ast pone materialibus perfectionibus suppositis, tantum vere de iis differi, putaverim illas ex sententia Sphi praecedentis ad emendationem sensitivarum repraesentationum & hinc cupiditatum utilius audiri



audiri posse. Ad minimum enim plurimi hominum impedi-  
rent, quo minus eo tempore repraesentationes peiores, imo  
etiam derestandae animum inquinarent. Propriae quoque  
meditationi pulcrius efformandae locus datur; quum alias  
occasione ex tali oratione neglecta, omnis quoque cultus  
externus eo tempore fere semper omittitur.

§. X.

Fusus a Spho VI. ad hunc usque locum de certitudi- *Character*  
ne cultus externi loquuti sumus. Ea autem quae proposui *II. cultus*  
nec ad certitudinem probandam solum adhiberi debere *optimi ex-*  
censemus, sed insequentes characteres eidem scopo in- *terni.*  
fervire posse arbitramur. Licet enim illis peculiarem pa-  
ginam definitione medii sic volente dicamus, attamen uni-  
cam medii perfectionem ad reliquas quoque conspirare  
deberet, in aprico positum est. En characterem secundum. *Esto*  
*cultus externus, adeo brevis quam fieri potest. Brevitas cultus externi*  
*gravitatem eius simul complectitur, nec unquam fini officere debet, ut ius-*  
*sto brevius medium evadat, sed tantum superfluis nihilque signi-*  
*ficantibus mediis in cultu externo opponitur, quae hac per-*  
*fectione aut rescantur, aut eo aptius fini confirmantur. Bre-*  
*vitatis itaque cultus externi, paucitate mediorum finem tamen penitus*  
*consequentium efficitur. Quum vero finem religionis externae*  
*& manifestationem & augmentum religionis internae con-*  
*stituamus; pater laudabili brevitatibus nomine, nulla media cul-*  
*tus externi insigniri; si illis adhuc aliquid accedere potest, quod*  
*ad manifestationem & praestantiam religionis internae augen-*  
*dum facit. Hinc nec statim ut superflua reiicienda sunt,*  
*quae suavitatem, ardorem lucem dignitatem religionis inter-*  
*nae restantur & adaugent, licet veritas etiam sine horum me-*  
*diorum usu confirmari queat.*

Brevi-

Brevitati opposita exempla in enthusiastarum phariseorum atque etiam ecclesiae romanae sacris deprehendimus. Quorum enim agitationes corporis motibus vehementioribus, quorsum preces battologicas innumeris vicibus eadem recouentes? quorsum caerimonias aut plane inanes aut a scopo mirifice abludentes? Huc etiam spectat separatismus quo peculiaria signa atque extraordinarii characteres distinctivi excogitantur; quibus specialem aliquam & fere invisibilem ecclesiam distinguere animus est. Nec in protestantium circulis exulant ii qui e longinquo ea petere videntur, quae propiori studio eoque breviori consequi potuissent. Siquidem adsunt homines qui in omni cultus externi oratione &c. breuem historiae ecclesiasticae recitationem exhibere videntur, dum de lapsu Adami, ad haec usque tempora omnia persequuntur, quae & hominum imbecillitatis & iustitiae ac clementiae divinae praecipua specimina existunt. Satius esse ducimus, si quolibet actu gravitas, dignitas atque nobilitas religionis internae & ostenditur & promovetur.

## §. XL

*De III. caractere optimi cultus externi.*

*Tertium characterem optimi cultus externi fecunditatem eiusdem constituimus.* Hanc adesse affirmamus dum ex quolibet actu quam plurima ad finem religionis externae conferuntur. Eam enim omnium actionum quae fini cuidam dicantur naturam esse scimus, ut eas eo perfectiores esse praedicemus, quo plus ad scopum assequendum consentiunt. Legitimae vero finium subordinationi consentaneum est, ut omnes quos nobis proponimus fines tandem religioni consecrentur. Ex quo efficitur ut religionis externae cultum non a reliquis huius vitae statibus earumque variatione segregandum esse videamus; sed potius ea artissimis iungi vinculis affirmemus. Hac enim via bonitati cuiuslibet actionis nec ullo modo aliquid decedit, quae alias necessario imminuenda esset, nisi illam & manifestationi gloriae divinae insimul inservire debere velimus.

Prius-

Prisquam aliquo modo curatius nobis significandum sumimus quomodo fieri possit, ut foecunditas cuiuslibet actionis cultu divino externo adaugeatur; notabimus, hac via reliquorum in mundo finium consequutionem neutiquam excludi; poni potius, atque emendari ut salutis nostrae eo melius conducant. Aliqui enim eorum qui praecellentiam sempiterni cultus divini, ast coequentes sentiunt, sibi aliisque persuadent, precibus, cantu, lectione atque auditione eorum quae propius aedificant, totius externi cultus complecti negotium. Laborum itaque non patientes cuncta quae ad necessitates commoditatesque vitae comparandas faciunt, culpando ausu despiciunt, omnibusque & legitimis iucunditatibus insensu, sibi meri ipsi placentes, mirifice superbiunt. Quorum morem tantum abest ut magni faciamus, ut illum potius pestem reipublicae esse existimemus. Quum e contrario vere pietatem adamantes usibus reipublicae quam optime profint.

## §. XII.

Omnium quae in hoc mundo existunt perfectionum *Specialius*  
 Deus rationem habuit, dum eundem reliquis melio- *eiusdem pos-*  
 rem iudicaret. Omnia itaque bona quae in hoc mundo *sibilitas o-*  
 actuantur merito ut Dei fines spectari debent, si sapientiam *stenditur.*  
 divinam imitari, atque omnia eo modo ut merentur diiudicare volueris. Qualescunque itaque actiones suscipies, sint tantum bonae, iure operam luisse videberis, nisi eas simul ut fines Dei tibi repraesentas, quibus saltem in te, & fortean etiam in aliis gloria atque maiestas Dei eo magis manifestari potest. Etenim I) vires quibus ad agendum instructus es, nonne Deo merito acceptas refers? Quae cum ardentur atque legitime facis, Deum colis, etiam externe, praesertim si mentem tuam & aliis significaveris; atque & hac in re legem agnoveris Dei. II) Uteris viribus tuis, nunquam divinae benivolentiae inscius. Quam caduca enim his ma-

C

china,

china, & qualem tyrannidem corpus in animam exercere  
 soleat, experientia loquitur. Grato itaque animo, te Deo  
 coniunctissimum profiteris, vere liber, sapientissimo hoc mo-  
 do serviens. Pro diversissimo in quo vivimus statu, III)  
 modo hunc, modo illum finem explere tenemur. Si illum  
 tantum legitimum esse iure affirmamus, nonne idem perfe-  
 ctionem totius augebit? Agimus igitur divina ducti auctori-  
 tate, atque divino favente nutu. Siquidem nihil aliud com-  
 mittimus quam quod ipsis divinae sapientiae regulis consen-  
 taneum est. Harum regularum si probe gnari fuerimus, at-  
 que mente hacce recti conscia, cuncta huius vitae negotia ex-  
 sequimur, quamlibet actionem Deo consecramus atque ea-  
 tenus eundem externe colimus. §. III. Sapientiae enim divi-  
 nae manifestatio, & animus eam ob causam agens, gloriam  
 divinam edicunt.

Incongruum forte iudicabit aliquis, dum continuam finium  
 Dei repraesentationem requiri autumat, hocce animae nostrae  
 opus; utpote quam multis iisque variantibus cogitationibus  
 distrahi, quotidie edocemur. At nec distincta aut clara sem-  
 per harum regularum, quibus Deo volente ad negotia mun-  
 dana obligamur, requiritur meditatio. Sufficit si quotidie iterata  
 vice nosmet ipsos omnesque nostras actiones Deo sacras esse  
 iusserimus. Quae enim in ipso officiorum actu, verba &  
 animus retineant, res ipsa loquitur. Accedit consequens diu-  
 dicatio, utrum omnibus divinis satisfecerimus legibus nec ne,  
 tristitia atque contritio de iis quae meliora effingi potuisse  
 videmus; ac constans propositum ea in subsequentiis asse-  
 quendi, quae adhuc relicta esse iudicamus. Ea ratione na-  
 turalem sequentes cognitionem, Deo accepta, aliis & nobis  
 utilia externo religionis exercitio iungimus. Quae si ulte-  
 rius ex legibus supernaturali modo revelatis persequi liceret,  
 evictum daremus, quam concinne omnia ista conspirant quae  
 Deum auctorem agnoscunt, salutique hominum inserviunt.

§. XIII.

§. XIII.

Restat ut paucis explicemus quaenam iure postulantur, si iudicium de illis pronuntiandum est, qui nobis ad cultum Dei occasionem subministrant §. I. ut & ratione duce de vario eorum usu scire iudicemus. I.) Cognoscat itaque iudex cultus externi indolem in genere, atque principia bonitatem eiusdem determinantia habeat perspecta. Quicumque enim empirice tantum procedunt, aut ad internum sensum omnia referunt, aut multitudinis gratiam captant, non adeo firmis sententiam suam superstruxisse videntur argumentis. II.) Deinde obiectorum habeat rationem atque diversitatem finium attendat, qui in illis obtineri debent. Dum enim iudices suo modulo omnia metuntur atque ea tantum quae sibi met ipsis placent, legitima esse pronuntiant, mirifice falluntur. Medicos tantum ad regulae huius confirmationem testor. Prout enim nec omnibus eorundem medicamentorum usum, conducere concedimus, ita etiam nec singulis auditoribus eadem exponenda erunt. Si itaque e. g. orator sacer modo hac, modo alia via procedat, & tum claritatem, tum veritatem, tum certitudinem cognitionis pro scopo habeat, grataque coniunctione nonnullas harum perfectionum infimul augere vulerit, officio suo satisfaciet. Ergo non facile iudicium omnibus numeris absolutum edicet, qui auditorum tantum universaliori cognitione instructus, ea quae ipsis specialius necessaria sunt, nondum curatius introspexit. Paucissimis autem occasionem suppetere ut adeo plurium hominum notitiam sibi comparare queant, quae huic scopo sufficiens esse possit, concedent qui huius rei periculum ferunt. Paucissimis itaque & e. g. de orationibus sacris e. c. iudicandi conceditur potestas.

*De iis qui se  
met iudices  
cultus ex-  
terni volunt.*

§. XIII.

## §. XIII.

*Continuatur  
argumen-  
tum.*

Multum mali in exemplo esse, si III.) subiectorum rationem habere noluimus, ultimo pateſcat. A diverſiſſimis enim ingeniis, a diverſiſſima eorum cultura, non facile eandem ad Deum colendum exſpectabimus occaſionem. Hanc dum in genere plurimi lubentes admittunt theſin, attamen in ſpecialiori aut individuali diiudicatione præſtantiſſimum ſibi efformatum artis exemplar, cum quolibet ſubiecto comparatione coniungunt. Ex aliquibus deinde dereſtis deſectibus, ſtatim omnimodam fere eliciunt imperfectionem, quum potius ex curata eorum cognitione quæ huic ſubiecto ſpecialim poſſibilia fuerunt, ad ea quæ exſequitur concluendum fuiſſet. Quibusdam enim magis ad veritatem confirmandam vires ſufficiunt, quum ardori cognitionis promovendo non adeo pares ſint. Ex aliis claritatem petes, licet dignitatem eorum de quibus loquuntur non adeo felici exprimere queant modo e. c. Si itaque etiam quam optime ſcias quibusnam in rebus humanam pariantur imbecillitatem doctores, numne ideo & eas iure negliges ædificationis perfectiones quas eorum opera ſcite augere poſſes? Niſi enim ex qualibet arbore quemlibet quo delectaris decerpere volueris fructum; opratis multo melius reſpondebit eventus, ſi cuiuſlibet indole penitus perſpecta; ex pluribus ſimul ſumptis ea petes, quæ in ſingulis ſeparatim ſumptis inconſiderate deſiderares.




Halle, Diss., 1751 H (II-Z)









B.I.G.

Farbkarte #13

MEDITATIONES  
DE QVIBVSDAM

CVLTVM DEI  
EXTERNVM CON-  
NENTIBVS

1757  
16

11

g. 474

QVAS

PRAESIDE

*VIRO PRAECELLENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO*

**M. GOTTLOB. SAMVELE NICOLAI**

AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE ADIVNCTO

FAVTORE ET PRAECEPTORE PIE COLENDO

AD DIEM NOVEMBRIS A. R. S. MDCCLI.

H. L. Q. C.

EXAMINI ERVDITORVM PVBLICO SVBMITTIT

**DANIEL FRIDERICVS SAVER**

GRANSEEA - MESO MARCHICVS.



HALAE MAGDEBVRG.

TVPIVS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TVPOGR.

